

*O. 10.*

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> JURIDICA INAUGURALIS,  
De  
**DISTINCTIO-**  
**NE BONORUM,**

*AD CONSTIT. ELECT. SAX. 14. PART. 3.*

*Quam*

Divina favente Gratia,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIÆ ET ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI HÆREDE, ETC. ETC.

*Ex Decreto & autoritate Magnifici J<sup>C</sup>tor. Ordinis  
in Alma Viadrina,  
PRÆ SIDE*

**DN. HENRICO COCCEJO,**

J<sup>C</sup>to longe celeberrimo,  
August. & Potentiss. Regis Borussiæ Consiliario Intimo,  
Facult. Juridicæ Ordin. & Antecessore Primario,

*Dn. Fautore ac Studiorum suorum Promotore per omnem etatem submissa  
devotione colendo,*

*Pro summis in utroque Jure Honoribus ac Privilegiis Doctora-  
libus rite consequendis*

*Publico Examini & Censuræ placidæ  
Ad d. Januar. Horis ante- & Pomeridianis An. 1708.  
Ventilandam submittit*

**JACOBUS VOSS, Hamburgensis.**

*Francofurti ad Viadrum, Anno 1708.*





Disputationis Inauguralis  
De  
Distinctione Bonorum,  
CAPUT I.  
De Bonis in genere, eorumque ab here-  
ditate differentiis.

SUMMARIA.

1. *B*ona intelliguntur que de-  
ducto ere alieno super-  
junt.
2. Quando appellatione Bono-  
rum et alienum contine-  
atur.
3. Hereditatis appellatione con-  
tinetur et alienum eoque sen-  
su illa perpetuo a bonis distin-  
guitur.
4. Norantur DD. qui docent, cum  
fiscus ad et alienum tenetur,  
illud voce Bonorum contineri;  
cum et contrario ideo teneatur  
quis non continetur.
5. Recensentur effectus insigni-  
ores ejus discriminis I. Fi-  
scus non succedit ut heres,  
sed ut Dominus bonorum; nec  
representas personam  
defuncti.
6. Hinc II. Fiscus venditis bo-  
nis non amplius tenetur: se-  
cundus ac Heres.
7. Hinc III. nec ille nec emitor  
tenantur ultra vires heredi-  
tarias; secundus ac heres.
8. Nec aliud est bonis confiscatis,  
quam bonis vacantibus, con-  
tra DD. plurimos,

9. Quomodo tamen effectu consentiant.
10. Bonis vacantibus legata & fiduci commissa non debentur; confiscatio: debentur, ubi & exceptio & regula generalis.
11. Quid si confiscatio ex delicto defuncti facta? Distinguuntur varie, §§. seqq.
12. Quid in bonis post publicationem qualitatis.
13. Quid si sententia post mortem lata.
14. Hinc IV. deciditur, quando legitima bonorum, & quando hereditatis portio sit.
15. Refelluntur qui putant, pa- rum interesse; & exponuntur insignioris differentiae ratione eris alieni & transactionum.
16. 2. Ratione actionum.
17. 3. Ratione juris accrescendi.
18. 4. Ratione Periculi.
19. Effectus V. legata parte bonorum, vel parte Hereditatis, quid inter sit.
20. Causa stipulationum inter heredem & legatarium partiarium.

## I.



Onorum amplissima appellatio est, nihilque iurium excludit nisi onera: & non res modo, sed & actio-nes earumque causas & ambitum concludit. l. 21. l. 49. l. 91. ff. de Verb. Signif. l. 37. ff. de Usufr. leg. Veteri enim non tam derivationum quam allusionum more, quaæ nec JCTis infrequentes adeo sunt, l. 15. §. 4. ff. de Injur. l. 2. §. 2. ff. de Reb. cred. l. 1. princ. ff. de Novat. l. 1. princip. ff. de adq. vel am. poss. l. 3. ff. Damn. infect. l. 15. §. 1. ff. de Mort. causa don. l. 1. princ. ff. de Furt. bona dicitur quasi quaæ beant, hoc est beatos faciunt, l. 49. ff. de Verb. Signif. id est, divites: ut apud Senec. Controv.

\* (5) \*

*Contrav. 3. Insolens malum est beata Uxor: unde in d. l. 49.  
dicitur, beare est prodesse. Proprie igitur non sunt bona  
nec ita dici possunt, quæ plus incommodi quam commodi  
habent. l. 83. ff. de Reg. Jur.*

II.

Verum tamen aliquando voce bonorum ipsum æs  
alienum quoque comprehenditur, scil. in Bonorum pos-  
sessione Prætoria, quæ iisdem cum hereditate finibus con-  
tinetur, eosdemque effectus habet. L. 19. 138. l. 208. ff. de  
Verb. Signif. l. 3. §. 2. ff. de Bonor. poss. l. 117. ff. de Reg. Jur.  
Et hæc videtur esse bonorum significatio civilis, de qua  
in d. l. 49. ff. de Reg. Jur. In ea enim materia Prætor, re-  
verentia Juris civilis & quasi per imminutionem, uti do-  
minus, quem ipse constituit, possessorem, ut in causa da-  
mni infecti ex secundo Decreto: l. 15. §. 15. 21. 22. 33. l. 44. §.  
fin. ff. de Damn. Infect. l. c. Princ. ff. de Fund. dot. & in l. 15. ff.  
*Qui satisdar. cog. l. 8. ff. de Verb. Signif. ita hereditatem, quam  
ipse fingit, bona appellat.*

III.

Naturali igitur sensu bona non intelliguntur nisi de-  
ducto ære alieno. l. 39. §. 1. ff. de Verb. Signif. l. 72. princ. ff.  
de jur. dot. l. 2. §. 1. ff. de Collat. bonor. l. 2. ff. de Jur. Fisi. l.  
fin. §. 4. C. de bon. quæ lib. Et in eo perpetuo ab invicem  
discernuntur bona & hereditas, quæ es alienum, &, ut  
bonorum appellatio omnium commodorum, ita hæc om-  
nium iurium, comprehensis quoque oneribus, complexum  
& universitatem significat. l. 81. ff. de legat. 3. l. 16. ff. ad Sct.  
Treb.

IV.

Neque sibi constant, sed à juris ratione nimium ab-  
errant qui in aliis pluribus causis, scil. in specie l. 30. §. 1. ff.

A 3

ad

\* (6) \*

*Ad Sct. Trebell. l. i. C. de Her. aet. Vend. i. 9. ff. de Sct. Silan. l. 41. ff. de Jur. Fisc. appellatione bonorum & alienum comprehendunt autem, inter quos est Wissenb. ad l. 39. n. 7. ff. de verb. Signif.* Nihil enim est quod efficacius & evidentius ex ipsis his locis refelli possit. Fiscus enim, qui in bona vacantia jure summa vel subalterna potestatis succedit, tenetur inde & alienum solvere, non quia illud appellatione bonorum continetur; sed è contrario, quia iis non continetur; adeoque à bonis separandum & creditoribus præstandum est.

V.

Plurimum autem sane interest, fiscus ut heres an ut Dominus succedat, pluresque alii hinc ducuntur effectus insignes. Primum enim, et si fiscus succedens in bona vacantia & alienum creditoribus solvere teneatur, non tamen id præstat ut heres, sed ut possessor bonorum à quibus id segregandum est. Heres enim adeundo, negotium cum defuncto gesisse videtur, §. 10. de Test. Ordin. eoque facto defuncti voluntatem agnoscit atque omnia onera hereditaria suscipit: l. 3. §. fin. l. 4. ff. Quib. ex caus. in poss. ille igitur adit hereditatem defuncti quasi sibi delatam in momento mortis, & repræsentat personam defuncti; eademque cum ipso persona habetur. Fiscus vero jure dominii occupat bona, quæ desierunt esse defuncti, & non habent heredem qui defunctum repræsentet. Ille igitur nihil cum defuncto agere videtur, nec repræsentat defunctum; sed jure proprio adquirit bona, quæ hero carent, & fisco adeo aperta sunt. Heres igitur & alienum præstat in solidum, ex persona defuncti quem repræsentat; fiscus vero tantum ut possessor totius patrimonii, eoque & æris quod aliis inde debetur.

VI.

\* (7) \*

VI.

Hinc porro est quod fiscus venditis bonis non amplius teneatur, sed emtor; l. 1. C. Her. vel act. vend. l. 41. ff. de Jur. Fisc. quia desit esse possessor, quo solo nomine tenebatur. §. 5. sup. cum econtrario heres teneatur esse hereditatem vendidit: l. 2. C. de Hered. vend. l. 2. C. de Legat. quia semel heres factus manet obligatus ex facto aditionis. §. 4. de Obligat. qua quasi ex Contr. l. 5. §. 2. ff. de Oblig. & act. modis

VII.

Hinc tertio nec fiscus ipse, nec emptor ipsius tenentur ultra vires patrimonii: idq; eadem ratione, quia ultra nihil possident; nec ob aliam causam tenentur quam quia possident patrimonium cui æs alienum inhæret. Eo ergo exhausto nihil debetur: idque firmatur per l. 1. §. 1. ff. de Jur. Fisc. l. 8. §. 1. ff. Qui testi facere possunt. l. 51. §. ult. ff. de Fidejuss. & communis sententia receptum est. Jul. Clar. §. fin. Quast. 78. n. 30.

VIII.

Aliud vulgo statuunt cum fiscus ex publicatione bonorum succedit, & tum cum ut heredem succedere volunt. Jul. Clar. d. Q. 78. n. 29. ubi glossam allegat ad l. 3. §. 4. ff. de Jur. Fisc. quæ tamen ita sentire non videtur, & omnino id erroneous est. Neque enim vel ex leg. 12. Tab. vel ulla noviore lege, vel jure Prætorio, vel denique ex Nov. 118. hereditas defuncti fisco defertur; & omnium minime ex causa confiscationis: Cum enim omnis heres defuncti, etiam ab intestato, ex defuncti voluntate tacita succedat, quia in testamento non abstulit, contra l. 8. §. 2. ff. de Jur. Cod. fiscus ex delicto heredis vel defuncti, & ex causa postnali succedit; atque non habita ulla ratione voluntatis defuncti.

IX.

\* (8) \*

IX.

Neque in omnibus his quæstionibus & DD. controversiis vel scrupulus relinquitur observatis iis quæ iam dicta sunt. Etenim fiscus omnium maxime jure dominii succedit, cum ex causis pœnalibus reo condemnato, per sententiam bona ad fisum devoluta fuerunt; sed semper detracto ære alieno *sup. §. 1. & 3.* Verum in justa hujus æris alieni definitione latet differentia, ut mox patebit.

X.

Bonis scil. vacantibus primum non debentur legata & fidei commissa: *l. 9. ff. de testament. tut. l. 14. C. de fidei comm. l. 181. ff. de Reg. Jur. l. 1. fin. de Inj. rupt. &c.* at publicatis bonis omnino debentur. *l. 96. §. 1. ff. de Legat. l. 1. 14. ff. de Jur. Fisci.* Priore enim casu nulla sunt legata, testamento destituto, & cum nemo ex eo heres est à quo præstanta illa sunt. *d. l. 9. d. l. 14. Carpz. Jurispr. forens. part. 3. Consł. 2. De- finit. 21.* nisi defunctus fidei fisci quoque commisit. *l. 114. §. 1. ff. de legat. l. 1. 3. §. 4. de Jure Fisci.* Posteriore vero, delictum heredis, ex quo fiscus vindicat, ipsi soli nocet, non legatariis &c. quo respectu proinde legata æs alienum sunt. *arg. l. 22. C. de Pæn. &c.* Atque hæc differentia usu recepta est: *Julius Clarus d. §. fin. Quæst. 78. n. 29.* & ita ex omnibus causis, si legata quoque corruunt, non debentur; si servantur, instar æris alieni sunt, quod è bonis detrahitur. *vid. Differ. Perillustris Dn. Cocceji de Bonis vacantibus anno 1683. Heidelberg. habita §. 47. & seqq.*

§. XI.

Quid vero obtineat si ex delicto defuncti confiscata sint bona, obscurum non est. Si enim eo vivo sententia lata sit nihil inde legatorum &c. nomine debetur, cum tempore mortis non amplius ea in bonis fuerint. *arg. l. 73. princ. ff. ad Leg. Falcid.*

XII.

\* (9) \*

XII.

Si vero post publicationem noviter bona rite quæsi-  
ta sint, valent quæ defunctus de iis disposuerat; nec cedunt  
fisco, modo civis manserit: proscriptus enim vel deporta-  
tus, et si acquirere deinde possit, cum quæ juris gentium sunt,  
retineat, l. 15. ff. de Interdet. reb. l. 22. §. 5. mand. attamen here-  
dem in iis habere nequit l. 2. C. de bon. proférat. quia heredi-  
tas autoritate juris Civilis desertur: Sed nec vivus actio-  
nibus nisi utilibus agere potest d. l. 22. §. 5.

XIII.

Quod si ante sententiam mortuus fuerit, regulariter qui-  
dem illa in heredem ferri nequit, nisi in vivum lata & appella-  
tione suspensa sit: l. fin. C. Sireus vel acc. mortuus fuerit, vel nisi  
ipso jure ex facto defuncti bona commissa & fisco quæsita  
fuerint. l. 14. ff. de Public. & Vectig. & nec tum legatorum  
nomine quicquam debetur: quia vivo reo jam in bonis ejus  
esse desisse videtur, d. l. fin. d. l. 14.

XIV.

Sunt autem & alii effectus, qui ex eo discrimine bo-  
norum & hæreditatis sequuntur, & in primis IV. accurate  
decidi inde potest quæstio agitatissima in foro: An legitimi-  
ma hodie sit bonorum an hereditatis portio? Quam pari-  
bus fere suffragiis in utramque partem disceptant. Fachin.  
lib. 12. contr. 4. &c. sed frustra. Etenim, si liberi in legitimi-  
ma instituti sint, dubium non est, esse portionem heredi-  
tatis, cum verissimi heredes sint, nec alio quam heredita-  
tio titulo capiant. Et sic hactenus recte rejicitur commu-  
nis sententia, apud Fachin. d. l. Verum, cum hodieque in  
legitimam computentur legata, fidei commissa, aliquique ri-  
tuli singulares, l. 29. l. 30. §. 2. l. 35. §. 2. C. de Inoff. tef. Do-

B

nell.

nell. 19. Comm. 4. eoque fieri possit, ut tota legitima ex legatis similibusve causis singularibus capiatur, quæ & alienum non continent, certum est, tum esse portionem bonorum *Bacb. ad Trent. l. vol. 1. Diff. 13. tb. 12. lit. C.* Neque vero requiritur, ut liberi instituti sint in legitima, sed sufficit, nominatos saltēm esse heredes, et si certis eos rebus contentos esse oporteat; *per Nov. II. cap. 5. in prim.* quo casu loco legatariorum sunt. *l. 13. C. de Her. inslit.*

## XV.

Equidem putant alii, nihil effectu interesse, ut *Wifsenb. part. 1. diff. 17. §. 9.* alii parum, ut *Bachov. d. tb. 12. lit. C.* Quod non videtur. Etsi enim eadem legitimæ quantitas maneat, eaque nec augeatur nec minuatur sive portio hereditatis sit, sive bonorum, aliis tamen rebus haut leviter differunt. Nam priore casu ipsi liberi onus æris alieni pro rata subeunt; altero reliqui heredes soli. Unde si defunctus reliquerit *tria milia* bonorum, & *tantundem* æris alieni; unicusque ei filius sit, de cuius legitima queritur, hic, si ea titulo singulari ipsi relicta, & ideo portio bonorum est, *mille* capit absque ullo onere, & tota moles æris alieni incumbit reliquis heredibus solis: Si vero portio hereditatis, & in illa institutus sit, *duo milia* capit, sed *mille* æris alieni sunt, de quo ipse respondet. Litesque suscipit: Priore igitur casu uti omnes litium molestia, ita omnia transactionum damna vel commoda penes solos heredes sunt; altero utraque pro triente penes filium.

## XVI.

Id vero magni satis momenti est, cum & lites sint molestissimæ, & & alienum sâpe latens emergat. Cui & aliis effectus affinis est. Quod, cum portio bonorum est, filii actiones directas instituere non possint, nisi exceptione here-

\* (ii) \*

heredis; Sed cum est portio hereditatis, possint, l. s. C. de  
Hered. Act. Et c.

XVII.

Præterea, cum' portio bonorum est, si unus heredum deficiat, portio solis coheredibus accrescit; non filio, qui pro legatario est. d. l. 13, C. de Her. ins. jus enim hoc accrescendi non est inter heredes & legatarios, sed inter coheredes solos. l. un. §. 10; C. de Caduc. toll. arg. d. l. 13, Secus igitur, cum portio hereditatis est.

XVIII.

Sed & ratione periculi differentia memorabilis est: etenim, cum portio bonorum est, nihil officit filio, si post mortem defuncti decreverit hereditas; sed periculum illud heredis est. l. 30, princ. l. 15, §. 3, in fin. l. 73, princ. ff. Adl. Falc. §. pzn. eod. tit. At si portio hereditatis est, eademi ejus & coherendum crescendi ac decrescendi, seu augmenti & detrimenti, ratio est.

XIX.

Denique V. hinc exponitur discrimen inter eum, cui portio bonorum, & eum cui portio hereditatis legatur; quo casu etiam quantitas legati variat. l. 8. §. fin. l. 9. ff. de Legat. 2. Etenim, si mille sint in bonis, & 800, æris alieni, adeoque tota massa 1800, Titius, cui legatus est bonorum semis, consequitur saltem 500, quæ sunt semis bonorum, deducto quippe ære alieno, quod solus heres solvit. Quodsi vero legatus sit Titio semis hereditatis, consequitur 900. quæ sunt semis totius hereditatis, à cuius appellatione non segregatur æs alienum: quod tamen & hoc casu heres de sua parte solus solvit, non legatarius; quia æs alienum heredem sequitur, non legatarium. l. i. C. sicut. pet. L. fin de Hered. act. l. 2, C. d. Her. vend. l. 26. C. de Pact. Hic legatarius di-

\* (12) \*

citus partarius, & legatum partitio. §. 5. de Fideic. hered. He-  
res regitur in solidum, ultimo hoc casu ex tota hac massa 1800.  
non amplius vi testamenti retinuit, quam 100; præter id  
quod ex L. Falcidia supplere potuit.

XX.

Unde patet, quæ causa fuerit stipulationum earum,  
quæ inter heredem & legatarium partiarium, & ad ejus ex-  
emplum inter heredem & fidei commissarium, communis ci-  
vium usu introductæ fuerant; scil. quia heredes, eum in  
eos solos reclinaret tota moles æris alieni, sæpe latentis,  
ægræ pro tanto onore & modico lucro admittebant here-  
ditatem; Quæ res legatarios qui nec actiones ex legato  
instituere sine cessione poterant, ad mutuas stipulationes  
adegit d. §. 5. §. 7. in princ. de fideic. her.

Alii plures afferri possent, sed ex his judicium de re-  
liquis facile fieri.

## CAPUT II.

### De Variis bonorum distinctionibus.

#### SUMMARIA.

1. *Bona sunt publica, vel pri-  
vata: illa principatus vel  
Principis.*
2. *Bona civitatum, et propriæ  
publica non sint, jura tamen  
publicorum habent, que re-  
censentur.*
3. *Alia abduc jura civitatum.*
4. *An crimen peculatus in iis  
committatur.*
5. *De reliquo eorum jure re-  
miss.*
6. *Bona publica sunt vel ecclesia-  
stica vel secularia; Et quo  
sensu, que divini juris sunt,  
privata intelligi queant.*
7. *Bona sunt vel allodialia vel  
feudalia: ubi refellitur puti-  
dus error eorum, qui Comita-  
tus, quin & Ducatus in du-  
bio*

\* (13) \*

- |                                                                                                    |                                                                     |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------|
| 1. <i>bis putant presumi esse allo-</i><br><i>diales, non feudales, §. 8. &amp;</i><br><i>seq.</i> | 11. <i>Cur pauci Comitatus non re-</i><br><i>cognoscantur.</i>      |
| 8. <i>Idem specialiter de Comitatu.</i>                                                            | 12. <i>Bona olim vel Quiritaria,</i><br><i>vel bonitaria: unde?</i> |
| 9. <i>Rationes allegantur.</i>                                                                     | 13. <i>Differentiae eorum.</i>                                      |
| 10. <i>Causa erroris à confusione</i><br><i>questionum.</i>                                        | 14. <i>Cur plane sublata.</i>                                       |
|                                                                                                    | 15. <i>Aliæ divisiones remissi.</i>                                 |

I.

**H**as, cum sint nimis prolixæ, nec hujus instituti, quasi per indicem percurremus. Sunt igitur primum bona vel publica vel privata. Publica sunt vel Principatus vel Principis: illæ ærarii, hæc fisci vocabulo comprehendendi solent: l. 2. §. 4. ff. *Nequid. in loc. publ. quæ tamen sensim promiscue accepta sunt. l. 4. §. 20. ff. de Fideic. lib. Jure gentium, bona publica, iisque inhærentia Jura Regalia, sunt in patrimonio Principatus; redditus proventusque eorum cum imperio ad fiscum Principis pertinent. l. 17. pr. & §. 1. ff. de Verb. sign. Vid. Jur. publ. prud. Per illustris Dn. Praef. cap. 9. §. 14. & seqq.*

II.

Bona civitatum alii potestati subjectarum, respectu summæ quidem potestatis privata sunt: l. 15. l. 16. ff. de Verb. sg. quia publica non sunt nisi quæ populi Romani sunt, ac veluti in ejus patrimonio. de l. 15. l. 14. princ. ff. de Adq. rer. dom. & quasi publica seu poplica dicuntur: Civitas autem, populo subjecta, non est ipse populus. At ratione suorum civium, &, quæ his competit, bonorum, pro publicis habentur. l. 15. l. 17. princ. ff. de Verb. sign. Unde & ipsarum negotia publica sunt: l. 74. ff. de Procurat. & res extra commercium; l. 34. §. 1. ff. de Contrab. emt. nec usu

capi

\* (14) \*

capi possunt: l. 9. ff. de Usucap. nec alia præscriptione exclu-  
duntur quam quibus & publicæ res: quæ olim erat 100.  
annorum. l. 23. C. de SS. Eccles. Sed & vectigalia aliaque jura  
publica habent; l. fin. C. Loc. Cond. & ista consensu principis pro  
re nata imponere, l. 1. 1. & tot. tit. C. Vect. nov. eaque loca-  
re possunt. d. l. fin. in fin. Unde & eorum conductores publica-  
ni dicuntur, & continentur sub edicto de Publican. & ve-  
ctigalibus. l. 13. §. 1. ff. de Publican. & vect. uti & loca civita-  
tum sub interdicto, Ne quid in loco publico fiat. l. 2. §. 2. ff.  
*Nequid, in loc. publ.*

III.

Sed & ærarium & Syndicum instar reip. habent ci-  
vitates. l. 1. §. 1. ff. Quod cuij. un. nom. eademque beneficia, v.  
g. minorum, aliaque Reip. jura iis quoq; applicantur, & in  
dubio appellatione Reip. continentur. l. pen. & tot. tit. C. de  
Jur. Reip. l. 1. §. 2. ff. de censib. l. 2. §. 6. 7. 8. l. 6. ff. de Adm. rer.  
ad Civ. pert.

IV.

Et quanquam peculatus crimen & poena, ad eos qui  
res civitatum subtrahunt, non pertinuerit; l. 38. ff. de Furt.  
tamen constitutionibus Impp. eo extensa est. l. 4. ff. ad L.  
Jul. Pecul.

V.

Quomodo autem administrandæ sint res civitatum,  
exponitur tot. tit. ff. de Adm. rer. ad civ. pert. tot. tit. C. de Adm.  
rer. publ. &c. Quibus solennibus vendendi eas potestas sit,  
in l. fin. & tot. tit. C. de Vend. reb. civ. de eorum muneribus ho-  
noribus & immunitatibus, tot. tit. ff. de Mun. & bon. &  
seqq. Et de reliquo eorum jure, parce in ff, latius in tri-  
bus ultimis liberis Codicis agitur: quo nos remittimus.

VI.

Bona publica porro sunt vel ecclesiastica vel secu-  
laria

\* (15) \*

Iaria; & illa quidem semper publica, nunquam privata. Quomodo autem & quando alienari possint, docent Canonistæ ad tit. de Reb. eccl. non alien. Et Dd. ad tit. C. de SS. eccl. Reliqua jura sacra, etsi non sint humani, sed divini juris, & nullius in bonis, l. i. princ. l. 6. §. 2. Et seqq. ff. de Rer. div. tamen & illa vel publica vel privata sunt. Et recte ita dicuntur: l. 9. §. i. f. Ad. l. ful. pec. §. Ihesauros 39. de Rer. div. junct. l. 3. §. pen. ff. de Jur. Fisc. quia juris ipsis proprii usus, nimirum ipse usus sacer, v. g. ad cultum divinum, seu ad sepulturam, vel publicus est, vel ad privatos pertinent. Ita privatorum quoque sacra fuere, cum jure communi, d. l. 9. §. i. & usu Romanorum civium, qui Lararia sua habuere: uti in exemplo Alexandri Severi, qui duplex Lararium habuit, alterum sanctius, in quo Deos; alterum sequius, in quo Heroes coluit: Lamprid. in Alex. Sev. cap. 29. Et cap. 31. tum ipso jure divino in exemplo Michæl relato Judic. 17. denique in Pace Osnabrug. art. s. §. 31. Et seqq. ubi prospicitur privatis quoque qui exercitium sacrorum habuere anno 1624. Atque ita sepulcra sunt alia publica, alia privata; & hæc vel hereditaria vel familiaria, l. s. l. 6. ff. de Relig. scil. quoad jus sepeliendi & inferendi mortuos, non quo ad usus seculares & profanos; & ita hæc jura privata, at non in bonis privatorum fuere.

VII.

Alia porro bona sunt alodialia, alia feudalia. Ubi vera quidem regula est: Res in dubio præsumi esse alodiales, non feudales. Verum, idem statuere de Comitatibus, quin & de Ducatibus, ut faciunt Reinc. lib. 1. class. 4. cap. 16. n. 40. Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 4. n. 63. tam ab omni ratione, & a sano judicio alienum est quam quod maxime. Etenim nullus unquam in Imperio fuit vel esse

potu-

13. X

potuit Ducatus allodialis; sed omnes Ducatus & principatus ab omni memoria fuere Feuda regalia, nec nisi in Feudum ab Imperio recognosci potuere, nec ullum allegari exemplum in contrarium. Ut adeo tam ridiculum fit, Ducatum præsumi allodialem, quam corvum præsumi album cum perpetua lex Imperii semper fuerit, ut principatus Imperii non nisi jure feudi tenerentur, & Principes omnes vexillo investirentur. Spec. Suev. lib. 1. art. 32. §. 1. & art. 32. §. 2. Spec. Sax. lib. 3. art. 58. §. 2.

## VIII.

Eademque est Comitatuum natura originaria & indoles regularis. Et licet exempla quædem afferantur Comitatuum alodialium, non minus tamen ridiculum est, ideo Comitatus generaliter præsumi esse allodiales, contra genuinam suam indolem ac naturam.

## IX.

Sane enim, uti Dux definitur qui de Ducatu, ita Comes, qui de Comitatu investitus est. 2. F. 10. Et quid vulgatius, quam principatus & Comitatus esse illa feuda, quæ Regalia, & Majora, Fahnen-Lchen / appellantur, 2. F. 55. §. 1. & 1. F. 13. in fin. & ubique feuda dicuntur. 1. F. 7. princ. 13. in fin. 14. princ. 2. F. 55. §. 1. ibi: aliud autem Feudum &c. Quin fuere illi omnium Vasallorum Principes, & ideo Capitanei dicti sunt 1. F. 1. princ. 1. F. 7. pr. Imo hæ sunt dignitates illæ Imperii, quæ in ordines, seu, ut Jura Germanica loqvuntur, in clypeos feudales distinctæ sunt. 2. F. 10. Spec. Suev. lib. 2. cap. 1. §. 1. Spec. Sax. lib. 1. art. 3. §. 2. Ut à communi sensu quoque remotissimum sit, præsumtione rerum naturam tollere, & aliam præsumere rei naturam quam est.

## X. Est

## \* (17) \*

## X.

Est autem putidi hujus erroris causa, quod confundant quæstiones, nec vim earum sedulo exquirant. Etenim non quæri debet de ipso Comitatu, sed quæstio agitata fuit de dominiis singulorum quæ sunt in Comitatu feudali, utrum in dubio pro feudo an pro allodio habenda? Ita enim inferebant in Gallia Advocati Regii; Hoc est in territorio Regis. Ergo est Regis. Contra hos disputat *Cardin. Mantic. de Tacit. convent. lib. 23. cap. 6. n. 16. & seqq.* & probat, illa præsumi allodia respectu dominii, non vero respectu Jurisdictionis, nedum respectu ipsius Comitatus. *d. cap. 6. n. 18. & seqq.* Quod & planius exponit *d. lib. 23. cap. 4. n. 4. & similiter Lud. Postb. de Manuten. dec. 294. n. 7. & seqq.*

## XI.

Causæ vero, cur pauci quidam Comitatus non recognoscantur hodie in feudum, variae esse possunt. In quibus vero recognitio remissa est, saltem tacite, *Feuda solis Sonnen-Lehen/ dici solent. de quibus Dn. Praef. in Hypomn. f. 29. tit. 3. §. 47. 48. 49.*

## XII.

Vetus quoque distinctio bonorum est, qua aliorum dominium fuit ex jure Quiritario; aliorum, ex bonitario. Quam differentiam induxit prærogativa populi Victoris, scil. Romani, præ devictis seu provincialibus. Solus enim populus Romanus seu Quiritium bona sua pleno dominii jure possidebat; populum autem devictorum bona jure belli & gentium cessere in dominium Populi Romani, qui ea vicit & in provinciæ formam redactis non restituit pleno & optimo, sed quodam quasi fiduciario jure, ita ut omnis quidem fruendi potestas, & *χεῖστις* esset penes Pro-

C

vin-

vinciales, quod dominium bonitarium dicebatur; sed directum quasi dominium, seu Quiritarium penes, populum Romanum. *Ulp. fragm. Ins. tit. 19. Tot. tit. C. de Nud. Jur. Quirit.* Quod tamen vix aliam vim habuit quam eminentiae & autoritatis; cum dominii effectus fuerit penes bonitarios: *Ulp. tit. 19. §. pen.* ut hodie accidit in dominio utili. Simili ferē ratione aliæ res mancipi fuere, aliæ nec mancipi; quæ non potuerunt pleno jure acquiri, ut non tantum prædia provincialia, sed & feræ bestiæ &c. *Ulp. tit. 19. §. 1.*

## XIII.

Differebant 1. Quod Provincialium prædia erant fere stipendiaria vel tributaria, secus ac Italica. §. 40. de Rer. div. quoniam restituebantur ipsis à populo Romano prædia, non pure sed sub lege Tributi vel stipendii; quod proinde cessat in Italicis. 2. Res provincialium non poterant mancipari, id est, pleno jure transferri, sed tantum bonitario, ita ut Quiritarium maneret populi. Unde prædia eorum res nec mancipi fuere & bonitaria, at jus quasi directum populi Romani. *Ulp. d. tit. 19. §. 2. de Testam. ord.* 3. Cives Romani usucapione & in jure cessione acquirere potuerunt res mancipi & nec mancipi. *Ulp. de tit. 19. §. 8. §. 9.* Traditione vero, quæ juris gentium est, & præscriptione longi temporis, omnes acquirere dominium poterant, sed salvo jure Quiritium; quod penes vendentem si habuit, mansit. *d. §. 40. de Rer. div. tot. tit. C. de Usuc. transf. tot. tit. C. de Nud. Jur. Quir.*

## XIV.

Hæc omnia cum essent argumenta summæ potestatis & directi dominii populi, Impp. sensim & tandem, Justinianus omnia hujus differentiæ vestigia delevit, *tot. tit. C. de Nud. Jur. Quir. tot. tit. C. de Usuc. transf.*

## XV.

\* (19) \*

XV.

Sunt quoque bona quædam corporalia vel incorpo-  
ralia; item mobilia vel immobilia, de quibus vid. Hipomn.  
Inst. tit. de Reb. incorp.

C A P U T III.

De Bonis Paternis & Maternis.

S U M M A R I A.

1. *Q*uestio de hac distinctione, Et de quibus casibus agi-  
tari soleat, proponitur.
2. *Jure Saxonico* quidem rejecta  
est; ubi tamen creditur jure  
communi obtinere.
3. Demonstratur pluribus ratio-  
nibus, eam distinctionem iure  
non obtinere, nec unquam ob-  
tinuisse, §. 4. Et seqq. usque  
ad §. 14.
4. Eam esse communiorem Et  
receptionem sententiam; Ju-  
re quoque Sax. probatam.
5. Et statuis Hamburgensibus;  
ubi de successione liberorum  
in Materna Et Paterna.
6. Evolvuntur textus oppositi.
7. Et quid ad eos vulgo respon-  
deatur.
8. Quam illæ Responsees fluxæ  
enerves sint.
9. Respondetur primum in ge-  
nere.
20. Specialiter demonstratur
- plenisime, ex textu in l. 13. C.  
de leg. ber. id non probari,  
sed contrarium. §. 21. Et seqq.  
usque §. 29. Ibi notatur 1.  
Ilo jure adhuc durasse diffe-  
rentiam inter legitimos Et  
cognatos; sed ex horum or-  
dine quosdam traductos in  
ordinem legitimorum.
21. Patrem ante ajure peculii seu  
potestatis omnia filiorum bo-  
na occupasse; uti emancipa-  
torum, Jure Patronatus.
22. Primum excepta inde esse  
bona materni generis, Et de-  
inde lucra nuptialis. Et in  
bis solis constitisse tum hered-  
itatem liberorum.
23. Quo ordine in his succee-  
rint heredes.
24. Additam in d. l. 13. tertiam  
speciem bonorum in quibus  
liberi heredem babere potue-  
runt; scil. bona emancipato-  
rum.

25. Quo ordine in his successum.  
 26. & 27. In d. l. 13. non distingui  
inter paterna & materna,  
sed inter hec, & reliqua bona  
emancipati. Et quantopere  
ille textus disset à Nov. 118.  
 28. Demonstratur, quam tota  
causa & ratio d. l. 13. mutata
- & abrogata sit per Nov. 118.  
 29. Pariter responderetur ad l. 4.  
C. de sec. nupt.  
 30. Et ad Nov. 84. cap. 1.  
 31. Item ad l. 3. C. de Bon. quælib.  
 32. Et ad S. 1. Per quas pers.  
 33. Notatur sententia Carpz.

## I.

**H**ujus in primis distinctionis causa suscep ta est hæc  
disputatio. Illam enim divisionem, et si cum ma  
xima litium expediendarum difficultate conjuncta  
sit, probat Bartolus in Aub. Itaque C. Comm. de Success.  
eumque mordicus tuentur Dd. in successione ab intesta  
to, contra Baldum, in Aub. defuncto. C. Ad SCt. Tertyll.  
Occurrit autem quæstio in pluribus casibus. 1. Quoties  
parentes ex parte patris & matris simul liberis succedunt.  
2. Quando cum iis concurrunt defuncti fratres & sorores  
germani. 3. Quando Germani cum avis maternis con  
currunt. 4. Quando consanguinei & uterini una suc  
cedunt. Omnes enim hæ species in controversiam dedu  
cta sunt à Dd. & in omnibus, excepta tertia, distingui  
bona debere decidit Hart. Pisi: ob. 51. per tot. Alii vari  
ant.

## II.

Etsi vero Sereniss. Elector Saxoniae omnem hanc di  
stinctionem rejecerit & in territorio suo aboleverit, part.  
3. Cons. Elect. 14. illi tamen Jcti, quorum consilio edita  
est

\* (21) \*

est dicta constitutio, in ea afferuerunt, jure communi distinctionem istam obtinere, & hinc extra Saxoniam ita respondent. Quod pace Eorum, & salva omnium sententia, veritatis studio, examinabimus.

III.

Præcipue nituntur l. 13. §. 1. C. de legit. her. l. 4. C. de sec. nupt. Nov. 84. cap. 1. l. 3. C. de Bon, que lib. Verum nec inde illud probare, nec obtainere eam divisionem in ulla specie, persuasi sumus. Etenim I. cum sublata veteri successionis ab intestato ratione, quæ nimium scrupulosa & implicita videbatur, novam succedendi formam constituierit *zustin.* in Nov. 118. & plane constet, in ea nullum penitus hujus distinctionis vestigium esse, & ne quidem paternorum & maternorum bonorum ullam mentionem fieri, non potest illa obtainere: cum Justinianus in pref. d. Nov. 118. diserte testetur, se voluisse omnes simul ab intestato cognacionum successiones per istam legem, sc. Nov. 118. clara compendiosaque divisione disponere, & ideo prioribus legibus, probat causa positis vacantibus, de cetero ea NB. sola servari, que in d. Nov. constituit. Rejicienda est igitur in successionibus ab intestato omnis paternorum & maternorum distincti, cuius adeo nec umbra in d. Nov. extat, nec ex ea ullatenus doceri potest, extra illam vero nec debet.

IV.

II. Quia quos Imp. ad successionem defuncti in d. Nov. vocat, eos heredes ejus ab intestato facit. Heres autem succedit omnino in omne jus defuncti quod ejus tempore mortis fuit. l. 62 ff. de Reg. Jur. l. 24 ff. de Verb. sign. l. 3. §. 2 ff. de Bon. Poff. Cum igitur omnia bona paterna & materna, defuncti fuerint, quæ tempore mortis habuit, certum est, heredes sine ulla distinctione succedere in

\* (22) \*

Omnia hæc bona paterna & materna, ejusdemque potestatis  
jurisque esse, cuius defunctus fuit l. 59. de Reg. Jur.

V.

III. Neque vero potest ex eo, quod jure extinctum  
jam est, jus inter heredes esse statui, nec effectus juris in-  
telligi, ubi tota causa cessat. l. 4. §. 6. ff. de Re jud. l. 4. §. fin.  
ff. de Act. emt. Differentia vero paternorum & materno-  
rum aditione confusa & plane extincta fuit, nec amplius  
sunt paterna vel materna; sed omnia æqualiter fraterna,  
seu liberorum bona. Nemo igitur heredum potest sibi  
jus aliquod in paterna vel materna præ aliis arrogare,  
cum talia amplius non sint, neque vel hic ex jure matris,  
vel ille ex jure patris sibi aliquid vindicare, quod nullum  
fuit.

VI.

IV. Quin, cum non succedatur patri vel matri, sed  
filio vel fratri, non quæritur quid patris vel matris, sed  
quid filii vel fratris fuerit: Non magis, quam si defunctus  
emisset à patre vel matre; aut acquisivisset ab extraneis.  
Nam ea bona, quæ à patre vel matre acquisivit, quæ sua  
propria fecit extincta tota pristini dominii causa vel qua-  
litate, quam quæ extraneis comparavit. Ut proinde  
omnis illa distinctio in prædictis casibus merum sit non ens.

VII.

V. Sed & pugnat illa distinctio manifestissime cum  
d. Nov. n. 8. cap. 2. ubi de ipsis parentibus utriusque gene-  
ris statuitur, ut inter paternos & maternos ex aequo here-  
ditas dividatur. Ergo non attento, utrum amplius sit in  
paternis, an in maternis. Et sequitur porro: ut medietat-  
em quidem accipiant omnes à Patre ascéndentes, quanticunq; fu-  
erint; medietatem vero reliquam à matre ascéndentes quantos-  
cunq;

\* (23) \*

cunḡ eos inveniri contigerit. Non ergo illi paterna, hi materna; sed utriusque medietatem omnium capiunt. Quodsi igitur ne ipsi quidem Parentes Paterni vel Materni quando liberis succedunt, distinctionem bonorum facere possunt, à quibus tamen illa bona profecta sunt & distinctio hæc nata est, nedum cum aliis, scil. collaterales, liberis succedunt.

VIII.

Atque hoc expresse quoque additur in d. Nov. 118.  
cap. 2. vers. si vero. in casu quo fratres & sorores Germani una cum ascendentibus concurrunt; quod dividenda sit inter eos hereditas secundum personarum numerum, ut ex ascendentium & fratrum singuli aequalem habeant portionem &c. Nihil ergo evidenter est, quam omnium promiscue bonorum aequales portiones fieri, non autem paterna & materna separari.

IX.

In priore igitur specie, cum ascendentes utriusque lateris soli sunt, semilles totius hereditatis omniumque defuncti bonorum fiunt, & alter paterno generi, alter materno tribuitur: In posteriore vero casu, tota hereditas, omniaque defuncti fratri bona in partes viriles & aequales dividuntur. Quod ideo factum, ne unquam Parentes deuterionis essent conditionis quam collaterales; ut fieret, si plures essent parentes quam fratres; adeoque fratribus, vel unius fratrum portio major quam unius Parentum. Hoc igitur casu partes viriles fiunt totius hereditatis & omnium bonorum; neutro autem aliis paterna aliis materna cedunt.

X.

Nec quicquam frigidius aut ineptius ac refutatione indignius est, quam quod dicitur, loqui Imperatorem de casu, quando nulla sunt bona paterna vel materna. Hoc vero est hariolum, non interpretem agere; neque immorandum

\* (24) \*

randum tam crude & pro libidine conficta, nec ullo momento probata assertioni. Cui præterea reclamant omnes jam allata rationes.

XI.

VI. Et sane, si in personis fratrum & sororum distin-  
ctio illa honorum tenenda est, nulla causa sufficiens alle-  
gari potest, cur non idem in infinitum extendendum sit;  
cum illa distinctio jam non minus confusa atque oblitera-  
ta sit in fratrum personis, quam in remotissimis cognatis:  
& tam in momento, quo liberis quæsita sunt, desierunt  
esse paterna vel materna, quam cum longissime post cognati  
succedunt.

XII.

VII. Sed & alia sequentur absurdia si paternis pater-  
na materna maternis concessa essent. Nam, si filius non  
haberet nisi materna, avia vel proavia materna excluderet  
ipsum Patrem: nec Paterni concurrerent cum Maternis,  
si bona paterna, vel alia quam materna, non essent. Item  
uterinus excluderet consanguineum & concurreret cum  
Germanis & cum eorum liberis. Et contra, si tantum es-  
sent paterna. Quæ omnia pugnant cum d. Nov. 118, cap. 2.  
§ 3.

XIII.

Et cum IIX. expresse dispositum sit in d. cap. 2. ut pro-  
ximiores præferantur remotioribus, in prædicto casu remo-  
tiores excluderent proximiores, ipsumque parentem. Quæ  
omnia si conferantur cum verbis luculentis, & perspicuo  
sensu d. Nov. 118. longissimè à vero recedunt.

XIV.

Nec sibi constant, qui hoc casu aliud esse volunt,  
nec distinctionem admittunt, nisi cum utrinque pari  
gradu

\* (25) \*

gradu concurrunt. *Thesaur. dec. 27 n. 4.* Quasi vero in arbitrio cujusque sit, legibus fines quos libet ponere, & veluti cereum nasum in omnes formas ducere; nullo judicio, nulla ratione, nullo jure, contra manifestum legis tenorem, & ipsius rationis evidentiam.

XIV.

Atque hæc sententia communior ac receptior est. Et licet multi olim Bartolum secuti sint, plures tamen Baldum, *Vid. Tiraq. du Ratrait lignag. §. 14. n. 12. 13.* ubi ab utraque parte plurimos pro more allegat. Nec Carpz. *part. 3. const. 14. def. 2.* & Hartman. *Pist. d. Obs. 51.* defugint facile autoritatem assertionis, constitutioni Electorali insertæ, quanquam verba ejus non sunt dispositiva sed mere narrativa, quæ non obligant. Verum extra Electoratum JCTi, etiam Saxonici, frequentius distinctionem rejiciunt. *Ant. Fab. C. lib. 6. tit. 33. def. 2. Fachin. lib. 6. quest. 4. & 5. Forster. de Success. ab init. lib. 7. cap. 2. n. 13. Bartb. vol. 2. Disp. 16. tb. 5. lit. C. Hunn. Var. Ref. lib. 3. tract. 1. Quest. 31. Dn. Struv. Exerc. 38. tb. 27. Addit. Sim. Pistor. ad Hart. Pist. d. Obs. 51. lit. a. b. c. ubi lit. b. ait, lege Regia Bartoli sententiam in Hispania explosam esse. quomodo rejecta est ipso jure Saxonico Electorali, *part. 3. Const. 14.**

XV.

Sed & statutis inclytæ civitatis Hamburgensis memorata distinctio bonorum nullibi attenditur; sed omnes indistincte in bona ejus, cuius heredes sunt, succedunt. *Stat. Hamb. part. 3. tit. 3. art. 12. 13. 14. 15. 16.* Evidem in personis liberorum merito distinguntur paterna & materna, etiam jure communii; cum revera distinctæ sint hereditates, in quas succedunt, alia patris, alia matris. In quo quædam disparitas est; Mater enim ad secunda vota

D

tran-

transiens, ante deductionem in dominum tenetur omnia sua bona cum liberis dividere, iisque besslem relinquere, vel, si non nisi filium vel filiam habeat, semissem : d. tit. 3. art. 6. cum à parte patris, aliam uxorem ducturi, sufficiat si intra 4. septimanas ante concubitum liberis satisfaciat, & vel bona materna ipsis reddat, salva successione virili in bona patris, vel edito omnium bonorum inventatio jurato, trientem liberis prioris matrimonii, aut, si unus sit, semissem tribuat ; d. tit. 3. art. 4. utrobique quibusdam reservatis, quæ latius exponuntur d. art. 4. & 6. Verum de eo hic non queritur, sed de casibus, quibus bona paterna & materna semel jam aditione confusa, ad alias devolvuntur.

## XVI.

Ita ergo abunde demonstrata sententiæ veritate, superest ut resolvantur dubia antea allata. Illa vero haud levia videntur, nec Patroni hujus sententiæ scrupulum omnem eis excusat; quod firmavit adversantium castra. Primum igitur obstat maxime l. 13. §. Ideoque. C. de legit. her. ubi filio emancipato mortuo, qui rel. quit patrem & fratres, hi succedunt in proprietatem, exceperis bonis maternis, in quæ ex eadem matre nati soli succedunt. Cui congruere videtur, l. 4. C. de secund. nupt. Et Nov. 84. c. 1. bona materna distinguuntur à reliquis, & consanguinei inde excluduntur. d. Nov. 84. cap. 1. Deinde objicitur l. 3. C. de Bon. que lib. ubi itidem excipiuntur bona à matre vel à materna linea profecta, ibi: si autem idem nepos superstibus tam patre quam avo paterno diem suum sine liberis obierit, eorum dominium, quæ ad ipsum ex matre, vel ab eius linea pervenerunt, non ad avum sed ad patrem ejus perveniant.

## XVII.

\* (27) \*

XVII

Ad hæc varie respondent; Fachinæus ait. *In d. l. 13.* non agi de uterinis, sed germanis. Hunnius, agi de successione collatoralium. Bachovius, de casu patris superstitis, eaque specie evidenterem esse distinctionem bonorum &c. Denique in his textibus jus vetus contineri, & esse alios casus.

XVIII.

Verum ne quid dissimuletur, hæ respsones neque objectis textibus, neque reliquo juri convenire, neque difficultates sustulisse videntur. Nec sufficiet regerere, alium casum esse, nisi & idonea differentia ratio afferri possit. Et sane casus *d. l. 13.* non videbatur esse absimilis. Neque tam his responcionibus convulsa est sententia adversaria, quam fluxa earum varietate magis suffulta, alteraque suspecta redditia. Diligentius igitur eximendi sunt scrupuli.

XIX.

Et primum quidem in genere responderi potest, ex iis, quæ tradita sunt *sup. §. 3. ex prafat. Nov. 118.* quod ea edita Iustinianus jura vetera successionum tollere, omnemque ab intestato succedendi formam nova ista constitutio- ne definire ac comprehendere voluerit. Ut adeo non amplius jura successionis ex antiquis legibus demonstrari pos- sint, nisi & novæ huic legi convenienter.

XX.

Cæterum, ne quid dubii aut difficultatis reliquum sit, plenius causam evolvemus. Notandum itaque est i. Illo jure adhuc durasse differentiam inter cognatos & agnatos, seu legitimos: & hos illis omnino esse prælatos, etiam jure Prætorio, ex capite, unde legitimi: adeo ut sensim quidam ex ordine Cognatorum translati fuerint in ordi-

\* (28) \*

nem legitimorum, eò effectu, ut simul cum iis succederent, & cognatos alios excluderent jure legitimorum. Quomodo Anastasius liberis emancipatus concessit, ut iura legitimorum inter se, & cum iis, qui in potestate manfere, fratribus & sororibus, salva & integra retinerent, quoad tutelas & successiones, quasi emancipati non essent. l. 11. C. de Legit. ber. d. l. 13. §. 1. l. 15. §. 1. C. eod. tit. Quod Justinianus ipsis etiam fratribus & sororibus uterinis, qui natura sua cognati saltet erant, permittere haud dubitavit. d. l. 15. §. 2.

XXI.

II. Patrem vel jure patriæ potestatis omnia filiorum s. bona, etiam castræna occupasse, l. 2. l. 9. ff. de Casr. pec. qui proinde ab intestato heredem habere non poterant. Quemadmodum & emancipatorum bona jure quodam Patronatus Pater afferuit. §. 1. in fin. de Bon. poss. §. fin. de Leg. agn. succ. Atque ita pater avique paterni liberis successeret in potestate constitutis, jure dominii ; reliquis, jure quodam Patronatus.

XXII.

Ab hoc jure exempta primum sunt bona à matre vel à materno genere profecta, quæ Patribus non fuere acquisita, nisi quoad usumfructum, & in quibus liberi ipsi heredem habere potuerunt. l. 1. Et tot. tit. C. de Bon. matern. Quod deinde extensum fuit ad lucra nuptialia conjugum, qui in potestate Parentum adhuc erant, & ipsis similiter, non eorum Patribus proprietate acquirebantur : unde & in iis habere heredem potuerunt. l. 1. Et 4. seqq. C. de Bon. quæ lib.

XXIII.

Igitur tum non fuit regulariter alia hereditas libero- rum quam bona materna, & memorata luera, cum reliqua pater

\* ( 29 ) \*

pater jure peculii occuparet. Unde tum quæsitum fuit, quos in illis bonis heredes habituri essent. Et ordo talis constitutus fuit, ut primum succederent ipsorum liberi: deinde fratres & sorores ex eodem matrimonio, unde illa bona profecta sunt, nati: tertio fratres & sorores ex alio matrimonio nati; & denique, si horum nulli superessent, tum demum patri acquirerentur. I. 4. C. de Bon. qua lib. C. fin. C. Comm. de success.

XXIV.

Hinc jam alia dubia suborta sunt, & in primis in d. I. 13. si filius emancipatus mortuus sit vivo patre, utrum ejus bona patri acquireti deberent, *juxta §. 21. sup.* an hereditario jure ad fratres pervenire. Et constituit Imp. hæc quoque bona ad exemplum maternorum & lucrorum nuptialium eximenda esse ab acquisitione patris, ut in iis quoque filii heredes ab intestato habere possint. Unde terria hæc bonorum species facta est, in qua filii heredem habere poterant ab int. scil. (1) Materna. d. I. 1. C. de Bon. mat. (2) Lucra nuptialis d. I. 1. C. de Bon. qua lib. (3) Bona à filiis emancipatis vivo patre relicta d. I. 13. C. de Legit. ber.

XXV.

Unde iterum quærebatur, in his bonis emancipati qui nam heredes esse deberent? Et conveniens fuit juribus tum editis, ut in his bonis proxime succederent fratres & sorores emancipati: quia his ab Anastasio-jura legitimorum reservata fuere: per §. 20. & illi ergo exclusere patrem in his quoque bonis. Cæterum in maternis bonis & lucris nuptialibus ordo succedendi jam ante definitus fuit, ut illi primum succederent, qui ex eodem matrimonio, unde bona illa & lucra pervenire, succederent, per §. 23. quem proinde ordinem intactum & salvum reliquit Imp. in d. I. 13. in fin.

D 3

XXVI.

\* (30) \*

XXVI.

Hinc vero jam omni luce evidentius est, textum d. l. 13.  
nihil officere, minimeque omnium ex ea probari, paterna  
paternis materna maternis dividenda esse. Non enim dis-  
tinguitur ibi inter materna & paterna, sed inter mater-  
na & reliqua emancipati filii bona omnia, qui in illis jam ante-  
ea habuit heredem, per §. 23. In his excluso patre qui antea  
ea acquirebat, eos permisit esse heredes, qui & alias defuncto  
proximi & legitimi essent, scil. fratres & sorores, per §. 20.

XXVII.

Sed nec reliqua ista bona emancipati soli paterno lateri  
quaesita sunt, sed omnibus fratribus & sororibus; & è con-  
trario pater ipse avique paterni exclusi, d. l. 13. §. 1. & 2.  
Quin nec materna solis maternis concessa; sed primum,  
iis qui eodem, tum deinde qui alio matrimonio natipер §.  
23. Adeo ergo ex illa lege non appetet, paterna paternis,  
materna maternis dividi, ut potius omnia in contrarium  
pateant.

XXVIII.

Denique tota quoque causa d. l. 13. penitus mutata,  
atque inversa est per Nov. 118. & proinde nullum inde ar-  
gumentum duci potest. Etenim tum pater avique pa-  
terni non succedebant jure heredis, sed jure domini vel pa-  
tronii, quæ tota ratio abolita est per Nov. 118. post illam  
nunquam aliter quam ut heredes. In d. l. 13. Pater avique  
paterni exclusi sunt à fratribus omnibus: in d. Nov. 118.  
à nullo fratribus; sed contra cum germanis conjuncti, re-  
liquis omnibus prælati sunt. In d. l. 13. distinctio adhuc fuit  
inter legitimorum & cognatorum ordines; illa vero per  
d. N. 118. cap. 4. universaliter sublata & in totum rejecta-  
est. In d. l. 13. liberi nondum habebant proprium heredem,  
nil

nisi in certis bonis, maternis & lucris nuptialibus; eaque regulariter sola eorum erant hereditas: at in d. Nov. 118. in omnibus bonis heredem habent. Unde non amplius distinguui potest inter materna, paterna, & alia; sed, perinde ut alii, heredem nunc habent universalem, qui in omnia eaque jura succedit, uti alii heredes; cum olim non haberent nisi in certis rebus. Quæ ratio vel sela subruit intentionem adversantium. In d. l. 13. longe alius ordo succedendi inter fratres fuit, ac in Nov. 118. ut collatis textibus patet. Et certum proinde manifestissimumque est, ex d. l. 13. nihil afferri posse ad stabiliendam prædictam divisionem.

## XXIX.

Reliquæ leges jam non obstant, sed consentiunt. Etenim prædictis consequens est, quod in l. 4. C. de secund. nupt. dicitur, liberos in bonis maternis & lucris nuptialibus heredes habere descendentes suos, nec ea acquiri Patri jure dominii ut reliqua bona.

## XXX.

Ita & in Nov. 84. cap. 1. in cuius casu Pater jam mortuus fuit, Imperator provocat ad priores leges, & ex iis casum decidit; hoc saltem addito, quod quo ordine fratres & sorores in bonis maternis & lucris nuptialibus patre vivo ante succedebant, eodem & in reliquis bonis (in quibus liberi quippe sui juris, heredem omnino habent) succedere deberent. De divisione vero paternorum & maternorum inter paternam maternamque lineam ne verbum quidem.

## XXXI.

Similiter in l. 3. C. de bon. que lib. nihil refertur de prædicta divisione, sed tantum dicitur, quod lucra nuptialia & bona materna non debeant jure peculii & potestatis avo paterno acquiri per nepotes, sed his mortuis nullisque fra-

\* (31) \*

fratribus superstibus, jure heredis ad patrem, non jure peculii ad avum, in cuius potestate pater est, pertinet, nisi quoad usum fructum. Quæ omnia prædictis accurate convenient. Atque ita effluit & evanescit vanisimum illud de distinctione bonorum commentum.

XXXII.

Id enim relatu indignum, & nimis ridiculum videatur, quod quidam ex §. 1. Per quas pers. enig. acq. afferunt; *Quæ invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti?* Ita enim nec hodie liberi heredem in bonis à parentibus acquisitis habere possent, sed semper ascendentibus in iis præferrentur descendantibus. Ratio scil. datur, cur peculium profectum filii non acquiratur. Quid hoc ad hereditatem eorum quæ filiis acquisita sunt.

XXXIII.

Quod autem Carpzovius part. 3. const. 14. def. 7. inquit: Distinctionem bonorum, et si in successione abrogatam, in divisione hereditatis observandam esse, non juris necessarii aut perpetui, sed arbitrii judicis est; qui de eo pro re nata statuit, quod æquius meliusque est.

---

## COROLLARIA.

- I. *Filius familiæ nec de Adventitiis extraordinariis testari potest.*
- II. *Filio familiæ à patre præterito, et si causa adjecta, omnia testamenti capitula corrunt.*
- III. *Matris præterito bodeque pro exheredatione est.*
- IV. *In testamento omnes sive testatoris sive heredis fratres, parentes masculi, nisi propter potestatem eadem cum altero persona videantur, legatarii quoque & fidei commissarii, etiam universales, testes adhiberi testamento possunt.*



31. de Spurio, H. S. Doctmager.
32. Petitiones Practicas circa materia probatio-  
nes, Pr. J. B. Werner. R. H. J. 1780.
33. De hominibus plebeis adscriptis Latice superio-  
ris, Pr. J. C. Schäffer. R. J. G. Weidner.
34. De fure Principis Enantrici circa Minor  
ia, Pr. J. H. Rohrler, R. J. F. Seisser.
35. J. M. Langen Tränelicher Beweis, daß die Divorzia  
z' Geschleidungen, jure naturae verbotten seyn, Pr. J.  
Gottlieb F. Eichmann.
36. J. F. Lüttkerr Gegen-Beweis wirdn J. Langen.


00 A 6360



58.

W A

Ruth  
VdA



DIE RE



Dissertatio Juridica Inauguralis,  
De  
**DISTINCTIO-**  
**NE BONORUM,**  
*AD CONSTIT. ELECT. SAX. 14. PART. 3.*  
Quam  
Divina favente Gratia,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.  
**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI HÆREDE, ETC. ETC.  
*Ex Decreto & autoritate Magnifici Jcto. Ordinis*  
*in Alma Viadrina,*  
*P R A E S I D E*  
**DN. HENRICO COCCEJO,**  
Jcto longe celeberrimo,  
August. & Potentiss. Regis Borussiae Confiliario Intimo,  
Facult. Juridica Ordin. & Antecessore Primario,  
*Dn. Fautore ac Studiorum suorum Promotore per omnem etatem submissa*  
*devotione colendo,*  
Pro summis in utroque Jure Honoribus ac Privilegiis Doctora-  
libus rite consequendis  
Publico Examini & Censuræ placidae  
*Ad d. Januar. Horis ante- & Pomeridianis An. 1708.*  
Venitlandam submitit  
**JACOBUS VOSS, Hamburgensis.**  
Francofurti ad Viadrum, Anno 1708.

